

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Joh. Andr. Qvenstedii, SS. Theol. D. & Prof. Publ. Ordin. in
Acad. Witteberg, Ethica Pastorum, & Instructio Cathedralis,
sive Monita, Omnibus ac ...**

Quenstedt, Johann Andreas

Wittebergæ, 1708

VD18 13565508

III. Lectioni S. Scripturae indefesso studio incumbat, & praecipua dicta etiam
ediscat.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-213082](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-213082)

III.

Lectioni S. Scripturæ indefesso studio incumbat, & præcipua dicta etiam ediscat.

Ἐξηγήσεις.

PRæclatum est elogium, quo Thimotheum suum ornatur *μεγίστη τὸ κηρύγματι* & *σάλπιγι*. Paulus 2. Tim. III, 15. quod *ἀπὸ βρέφους*, (quod accipiendum est *inchoativè* & *progressivè*, ita enim notat Timothei *etatem puerilem*, sive *terminum à quo* traductionis illius ad S. Literarum studium, ut simul includat tractum totius temporis, quod inter pueritiam & præsentem ejus ætatem intercesserat,) *ἐκ τῶν γραμμάτων*, *Sacras Literas* noverit. Non coeperat demum ætate adultâ Scripturam discere, ut novus adhuc & tyro ad sacrum munus veniret, *ἐκ πρώτης ἡλικίας*, ut explicat *Chrysostomus*, à tenerâ ætate coeperat. Ita ut esset *ἐντρέφόμενος*, *innutritus* τοῖς λόγοις τῆς πίστεως I. Tim. IV. 6. David beatum pronunciat illum, qui *in Lege DEI meditatur die ac nocte*, Psal. I. 2. & qui *scrutatur Testimonia DEI*, Psalm. CXIX. 2. Apostolus quoque seriò hortatur Timotheum suum I. Tim. IV. 13. ut intentus sit lectioni, videl. Scripturæ S.; *πρώτης*, inquit, *τῇ ἀναγνώσει*, *attende lectioni*,
B 5 & v.

& V. 15. *ταύρα μελέτα, καὶ τράκους ἴδε*, *Hæc meditare, in his esto.* Non dicit, attende agriculturæ, crumenæ, nummis, negotiis civilibus, rebus ad te nihil pertinentibus, sed lectioni, non perfunctoriæ, sed diligenti, & cum intentâ meditatione conjunctæ. *Primum ergo omnium commendat ei assiduam lectionem Scripturæ Sacre, ut ex ea discat, quod alios doceat, ut ad h. l. commentatur B. Gerhardus.* Ast non tantum Timotheo Paulus Apostolus commendavit diligentem Scripturæ lectionem, verum etiam omnibus aliis, qui populum Dei, in doctrinâ cœlesti, erudire & confirmare exemplo suo satagunt. *Lectionis autem sunt tres quasi species* (inquit B. Hulsemannus in Meth. Stud. Theolog. pag. 284.) 1. Scripturæ illustratio *per sensum visus*, 2. ἀκροασις, *per sensum auditus*, 3. Meditatio, *per Reminiscenciam, quæ Studioso Theologiæ conjungende sunt, non separande.* S. Johannl Apocalypsi cap. X. 9. vox cœlestis duo mandat, unum, ut libellum apertum ē manu angeli, i. e. Christi accipiat, alterum, ut acceptum devoret; Libellus iste, S. Scriptura est, quam Christus aperit, confer Apoc. V. 5. 9. Luc. XXIV. 45. & apertam tener, ex hujus manibus petere & accipere oportet Johannem & omnes Verbi Ministros doctrinam Salutis & devorare. Dicitur

citur

citur autem Libellus ille devorari, quando avidè perlegitur, penitusq; cognoscitur, ut ex eo promptè disserere & verba facere queamus. Ita *Ambrosius*; *Devorare librum*, inquit. est *Scripturarum intelligentiam secretis recondere visceribus*. *Devorasse librum, vel Autorem* vulgò dicuntur, qui diligentissimè eum legerunt & tractarunt, ait D. Hoë Comm. in h. l. pag. 384. Necessarium est in Verbi divini Ministro requisitum, ut sciat τὸν λόγον τῆς ἀληθείας ὁδοποιεῖν, verbum veritatis rectè tractare, ut vertit Vulgatus, 2. Tim. II. 15. ut possit proferre de thesauro suo nova & vetera, Matth. XIII. 52. ut sit δυνατός, potens & exhortari in doctrina sancta & contradicentes arguere & convincere, Tit. I. 9. δυνατὸς ἐν ταῖς γραφαῖς, potens in Scripturis, sicut Apollo Actor. XVIII. 24. hanc autem δύναμιν acquirit diligenti & assiduâ Bibliorum Lectione. Imò officium Pastoris lectionem S. Scripturæ maximè desiderat, quippe quod principaliter in Verbi divini prædicatione consistit, Matt. XXVIII. 19. 20. marc. XVI. 15. At quomodo prædicabunt, quod nunquam didicerunt? *Hæc duo sunt Pontificis opera*, inquit *Hieronymus*, seu potius *Origenes* Homil. VI. in Levitic. in Can. Si quis distinct. 36. ut aut à DEo discat, legendo Scripturas divinas, & sæpius meditando, aut

do, aut

do, aut populum doceat. Sed illa doceat, quæ à DEO ipse didicerit, non ex proprio corde, vel humano sensu, sed quæ Spiritus S. docet. Et *Zozimus* Papa in Can. Qui Eccles. distinct. ead. Quia Predicatores, per quos Ecclesia circumfertur, sacris literis semper debent insistere, ne tunc quærant discere, cum ex officio alios debeant docere. Hinc monet *Hieronymus* Epist. ad Nepotianum. Divinas Scripturas sapius lege, imò nunquam de manibus tuis sacra lectio deponatur. Scripturæ divinæ cum timore semper legendæ sunt, inquit *Macarius* homil. 39. utpote per quas & in quibus Deus ipse loquitur & expectandæ, imò & repetendæ, animoquæ nostro prorsus infingendæ, cum sint instar Epistolæ regię, quam iterum, iterumq; legi atq; re-legi oportet. Legat autem futurus Ecclesiasticus Orator Scripturam S. 1. *Totam*; Est enim veluti imago quædam & pictura, cuius partes partibus respondent, & unus liber alium declarat. Legat Eam 2. *assidue*. Non sit contentus semel atq; iterum legisse, sed crebrius verset, & assidue legendo ac re-legendo, sibi quamfamiliarissimam reddat, 3. *attentè*, non negligenter & perfunctorie, ut omnes cogitationes suas in unicâ Scripturâ defigat, aliarumq; rerum meditationem interea prorsus excutiat. Scripturam

pturam Scripturæ conferat, ut perpetuâ collatione vim & sensum seu *ὡς ὅτι πῶς* sacrorum verborum intelligat, Singula quoq; vocabula perpendat & attentâ meditatione penset. Nam, ut *χρυσόστομος* Chrysostomus Homil. 18. in Genes. affirmat, nil temerè ac fortuitò loquitur divina Scriptura, sed & syllaba & apiculus reconditum habet thesaurum. Imò ait Basilius Homil. 10. in Hexaëm. Otiosum verbum in Scriptura ponere, grandis est blasphemia, 4. pure, ut *ἀνευ προηγουμένου*, sine præjudiciò, humanisq; glossis excipiat 2. Petr. I. 20. 21. Psal. CXIX. 105. 1. Cor. II. 4. 13. Colloff. II. 4. 5. Ordine, partem post partem, non obiter, non incidenter, aut indiscretè, 6. Pie & devote, h. e. nunquam ad Scripturæ lectionem & meditationem se accingat, nisi ad Deum devotas preces præmiserit, atqve ab eo Spiritum intelligentiæ impetraverit. Benè monet Lutherus præfat. Tom. I. Oper. German. Jen. Scripturæ liber librorum omnium sapientiam evacuat, idcò de tui ingenii acumine in percipiendâ hujus libri sapientiâ penitus despera; flexis verò genibus in vera humilitate seriò Deum precare, ut det tibi Spiritum, qvò te illuminet. Ita modificatam esse Scripturam, dicit Augustinus lib. de utilitate credendi cap. 6. ut nemo inde haurire non possit, qvò sibi satis est,

est, si modo ad hauriendum devotè & piè, ut vera religio poscit, accedat. Sit itaq; hæc unica & prima cura eorum, qvi munere Ecclesiastico funguntur, aut ad illud adspirant, ut *S. Scripturas*, juxta monitum Archi-Episcopi nostri, Jesu Christi Joh. V. 39. *scrutentur*. Nam ut scitè ait *Augustinus* Lib. IV. de doctrinâ Christi. cap. 4. *Sapienter dicit homo tantò magis vel minus, qvântò in Scripturis Sanctis magis minusve profecit*. Optimum ad imitandum in hoc studio exemplum nobis erit ex Veteri Testamento *Esrâ* Sacerdos & Legis doctor, qvi paravit cor suum, ut quæreretur legem Domini; & ut faceret & doceret *Israel* præceptum & judicium, *Esr. VII. 10.* Intentum paratissimi cordis à Spiritu S. in *Esrâ* excitati fuit *Lex Domini, statutum & judicium*. His deditus, devotus, inò quasi mancipatus fuit *Esræ* animus, his cor ipseus incaluit. Horum studio se totum consecravit; Quæsi vit, inqvisi vit, investigavit, scrutatus est studio & labore indefesso Legem, statuta & judicia Domini, per quæ hoc loco sine dubio intelliguntur, τὰ λόγια Θεῶ, universa ad *Esræ* usque ætatem, in populo DEi exstantia. Notanter additur; ut faceret & doceret, h. e. Legit & scrutatus est Vir DEi Scripturas non solum propter alios, sed & sibi, τὸ ἑαυτοῦ generalitate sua

con-

continet omne id, quod Deus ab homine
 vult effectum & præstitum, & sic quoque i-
 psam fidem, seu fiducialem divinarum pro-
 missionum in Lege Dei revelatarum appre-
 hensionem, comprehendit, ut sensus sit, non
 tantum credere & facere docuit alios Efras,
 sed & credidit, fecitque ipse, ut cor suum Spiritu
 S. auxilio pararet. Refert *Nicephorus* Lib. II.
 cap. 7. Basilium M. & Gregorium Nazianz.
 rejectis omnibus Græcorum profanis histo-
 riis, in S. Scripturæ libris se duntaxat exercu-
 isse. Augustinus Hipponensium Episcopatu
 præficiendus à Valerio Præsule, cui adjun-
 gendus erat, non modò per alios, sed etiam
 peculiari Epistolâ, quæ est num. 148. omni-
 bus modis contendebat, ut antequam in Ec-
 clesiâ, tanquam Episcopus, ad populum, ver-
 ba facere aggrediretur, certum temporis spa-
 tium sibi indulgeret, quo S. Scripturam, re-
 bus aliis omnibus sepositis, diligenter adhuc
 scrutaretur. Alphonsus Arragoniæ Rex, teste
 Panormitano, gloriari solebat, se mediis Re-
 gni negotiis universa Biblia cum glossis Lyræ
 quater & decies à capite ad calcem perlegisse.
 Si tantum Regiâ negotiis Politicis fuit otii,
 quid prætexent nostri Studiosi & Ecclesiæ mi-
 nistri, qui ad hoc tantum vocati sunt, quorumque
 propria, in qua versentur, materia, est Verbum
 DEI

DEI

DEI S. Literis contentum? S. Scriptura est, quæ Concionatori & sapientiam & eloquentiam suggerit, inde fidei dogmata, inde vitæ præcepta, inde exempla, inde doctrinas, redargutiones, correptiones, exhortationes, consolationes &c. depromere potest & deo. Hinc S. *Ambrosius*, exemplar & speculum Pastorum & Episcoporum, Sacerdotibus ad eò impensè commendare solebat studium S. Scripturæ, ut eam vocaret *Librum Sacerdotalem*, Lib. III. de Fide cap. 7. & *Dionysius*, qui Areopagitæ nomen invaluit, asserit, S. Scripturam esse *substantiam Sacerdotii nostri*, de Eccles. Hierarch. cap. 1. Et septima Synodus, ut citatur Distinct. 38. Capitulo, *Omnes Psallentes*, statuit; Episcopum debere habere in promptu omnem divinam Scripturam, atque secundum mandata DEI conversari & docere populum sibi commissum. Additâ hac ratione, *Substantia enim summi Sacerdotii nostri sunt eloquia divinitus tradita*, i. e. vera divinarum Scripturarum disciplina. Serarius Jesuita in Prolegom. Bibl. cap. 28. quæst. 7. hanc movet quæstionem; *An Theologia destinatio a puero sacris literis docendum sit*, & affirmat, his potissimum ductus rationibus 1. *Quia à teneris consuescere multum*, Et *Quo semel est imbuta recens* &c. 2. quia magni & excellentes viri

Viri sic fecerunt, Timotheus, Abramius puer
 nobilis & c. 3. quia in Pirke Aboth dicitur; *Pu-*
er V. annorum ad Biblia est applicandus, id quod
 observatum à Judæis olim, & aliquo modo
 etiam hodie. 4. quia ut corporum mox fortifi-
 cationum educatio à lacte initium ducit, ita &
 mentis ad Theologiam præparatio à Sacrarum
 literarum syllabis, vocalisque ac sententiolis
 junctis inchoanda. 5. quia Hieronymus e-
 jusmodi præcepta educandæ Filiae dat Lætae,
 ut videre est in ejus ad illam Epistola. 6.
 quia in vilioribus etiam artibus & disciplinis,
 à primâ statim ætate videmus parentum cu-
 ram invigilare, ut quamprimum discendis
 illis admoveantur pueri; quanto magis id
 necessarium in summâ & difficillimâ &
 nunquam exhaustiendâ Scripturarum cogni-
 tione. 7. Quia Eos, qui tardius ad Scriptu-
 ras accedunt, aut nunquam aut certè rarò,
 aut magnâ cum difficultate, pertinaciq; ad-
 modum studio, illas memoriâ comprehendere
 & in promptu ad manum habere videmus.
 Quæst. XII. *scra Biblia vult edisci.* 1. Quia &
 res & verba eorum dignissima sunt, quæ
 memoriæ tabulis insculpantur. 2. Si memo-
 ria semper confirmanda est, ne pereat; si ex-
 ercenda, ut crescat, quid tandem est, in quo
 ea utilius confirmetur & exerceatur, quam

C

sacro-

sacro-sancta DEi oracula. 3. Alia tam multa tam multi ex profanis voluminibus memoriâ & scientiâ comprehendunt, quidni & Theologi hoc *κειμήλιον*. *Lepta suavissimus ediscat Hesiodum*, inquit Tullius. At pro Hesiodo, Davidem, Paulum, &c. sibi Theologiæ Studiosus proponat. 4. Qui ista ediscunt, Deo suam memoriam consecrant, ad omnia Theologi munia aptiores. 5. Cum Scripturarum pertractatio perpetua Theologis esse debeat, illas memoriâ non complecti, est exiguum laborem non tam fugere, quam in maximum & perpetuum commutare, qui variis occasionibus & causis identidem quotidiè subeundus. Hæc & plura ibidem Serarius. *Paulus Tarnovius*, Theologus Rostochiensis Præfatio. in lib. de SS. Trinit. inter causas proserpentis Sociniani veneni secundo loco ponit errorem & imperitiam juventutis, quæ dum Ministerio Verbi se parat, neglecta linguarum & artium discendarum ratione legitimâ id uniçe agit, quamdiu in Scholis superioribus heret, ut controversias quasq; intricatas & difficilimas degustet, de iis cum æqualibus ne dicam altercetur, omiſsa interim vel certè post habitâ SS. Literarum lectione assiduâ & sedulâ. In lectione verò Scripturæ s. in prius com-

men-

mendum futuris Concionatoribus *Versio-*
nem Germanicam B. Lutheri. Ea namq; tex-
 tus Originalis sententiam fidelissimè exprimit,
 perspicuo sermone constat, puritatem lingvæ Ger-
 manicæ tuetur, & in locis difficilioribus para-
 phrasæ ac commentarij operam præstat, judi-
 ce B. Gerhardo Hag. L. Theol. disput. II. de S.
 Scriptur. c. 17. §. 10. D. Til. Hesbussius in confess.
 de unione personali inquit: Weß alle Com-
 mentarien, so in Griechischer und Lateinis-
 scher Sprache über die gantzẽ Bibel ge-
 macht sind / derer ein sehr grosser Hauffe
 ist / und viel Centner wägen / mit grossen
 Fleiß durchlesen werden / so geben sie doch
 allesamt nicht so viel Lichts und Verstand
 des dem Christlichen Leser / als die klare und
 gar herrliche Dollmetschung Lutheri. Imò
Versioni B. Lutheri cedere coguntur ceteræ
Græcorum, Latinorum, aliorumq; perspicuitate,
puritate, proprietate, similitudine Hebræicæ ori-
ginis, judice Job. Sturmio, Rhetore Calvin. pri-
mario, qvi etiã porro ait: Credo ut Apellem ne-
mo pictorum legitur superasse, ita nec Scriptorum
quisquam Lutheri conversionem paterit vincere.
 Svademus quoque, ut illi qvi ad sacram-
 pergulam adspirant, ab incunabilis cum æta-
 tis, tum præsertim studii Theologici, dicta-

Scripturæ præcipua inter legendum siue in-
lectione cursoriâ, non tantum lineâ subdu-
cant, aut enotent, sed etiam ad verbum edi-
fiant & memoriæ imprimant, & quidem lin-
gâ vernaculâ, ut assuescant modo loquendi
in Scripturis usitato. *Hæres* (verba sunt *Al-*
stedii in *Præcogn. Theolog. lib. II. cap. 6. pag.*
159.) *mirificè conducit ad facundiam sacram*
Nam in Concionibus & privatis conversationi-
bus dicta Sacrarum Literarum nobis succurrent
eò facilius. Postremò tale sibi comparet fu-
turus Verbi divini Præco Bibliorum exem-
plar, quo per totam vitam uti velit ac possit,
cum variatio exemplarium vehementer tur-
bet memoriâ. *Exemplar Bibliorum verna-*
culorum tibi comparabis, inquit *Ludov. Crocius*
Instruct. de ratione Studii Theolog. cap.
IX. eog. etatem omnem ita constanter uteris,
ut adscriptis ad singulorum librorum singula
capita titulis mnemonicis, qui veluti in tabula
ad singularum paginarum frontem appositæ
summam Bibliorum exhibeant & sæpius per-
lecta ac inspecta tibi memoriâ localem pa-
riant. Confer *D. Franzium Tract. de In-*
terpret. Scripturæ statim ab initio, ubi ar-
git de modo Legendi S. Biblia. *Quærit*
ibidem; An profit multos subinde novos Co-
dices sibi comparare Biblicos, abjectis veteribus
plus